

SESSIO PRIMA.

Prima die Synodi Pontifex summo mane cappa indutus, ab universæ clero cum superpelliceis comitatus ad Ecclesiam pergit.

Quibus omnibus Ecclesiam ingressis et ostensis, si ostendendus erunt, Reliquiis, ut in formâ Cæremoniali Episcoporum præscriptâ, cantabitur missa de Spiritu Sancto solemniter per Episcopum; et si Festum fuerit duplex, vel dominica, sine commemoratione illorum, et sine Evangelio Dominicæ in fine.

Quâ finita, non autem data benedictione, quæ datur in fine sessionis semper, Episcopus, depositis paramentis missæ propriis, usque ad tunicellam inclusive, et accepto pluviali, accedit coram altari, Diacono et Subdiacono paratis rubeis ornamentis, ipsum hinc et inde associantibus, et ibi ante faldistorium sibi paratum genuflexus, omnibus aliis etiam genuflectentibus, incipit antiphonam.

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.

Incepto Psalmo, sedet Pontifex, accepta mitra, et sic manet quousque finiatur Psalmus, et Antiphona repetatur.

PSALMUS 68.

Salvum me fac, Deus, * quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans; rauce factæ sunt fauces meæ: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injustè: * quæ non rapui, tunc exolvebam.

Deus, tu scis insipientiam meam: * et delicta mea à te non sunt abscondita.

Non erubescant in me qui expectant te, Domine, * Domine virtutum.

Non confundantur super me, * qui quærunte te, Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium, * operuit confusio faciem meam.